



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

40. An appellantes à Papa ad Concilium Generale iam congregatum, & actu existens incida[n]t in censuram Bullæ Coenæ? Et an ita appellantes saltem sint Sacrilegi, & male sentiant de Fide? Et an dans ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

Probatur hæc sententia: In hac clausula excommunicantur dantes auxilium, aut favorem: sed consilium favor quidam est; nam, qui consilium præbet non parum juvat ad operandum: ergo consulentes excommunicantur.

6. Sed negativam sententiam docet Suarez, *de censuris, disp. 21. sect. 2. num. 17.* Bonacina, *vbi supra, num. 6.* Reginaldus, *tom. 1. lib. 9. num. 263.* & alij. Et ratio est: quia nudum consilium, neque est auxilium, neque favor; ergo nudus consiliarius non excommunicatur hoc loco. Consequentia est bona: quia in hac clausula solum agitur de præstantibus auxilium, & favorem. Antecedens ex eo constat: quia auxilium, favor, & consilium ad diversa tendunt: nam consilium juvat ab intrinseco dirigendo, & instruendo rationem ejus, cui datur; favor autem, & auxilium solum dirigunt ab extrinseco, suntque, propriè loquendo, actus externi ordinati ad executionem operis. Secundo, quando Summus Pontifex voluit comprehendere dantes consilium, de illis expressam mentionem fecit, ut videre est in clausula 7. 10. 11. & aliis hujus Bullæ: ergo, cum hoc loco consulentium non meminerit, illos excommunicare non intendit. Ego utramque sententiam probabilem esse puto: sed, esto, negativa esset tenenda; scias tamen, dictos consulentes in nostro casu incidere in excommunicationem reservatam, latam à Pio II. in Bulla incipiente, *Execrabilis*, & confirmata à Julio II. in *Extravagant. Suscepit regimini*, ut bene adnotarunt Vivaldus, Sayrus, & Bonacina, *loc. alleg.* Quinimò in dicta Constitutione Iulij II. excommunicantur decernentes, deliberantes, seu vocem dantes, & approbantes appellationem: quod optimè fieri potest, tametsi appellatio non subsequatur, sicuti advertit Bonacina, *punct. 3. num. 9. in fine.*

7. Nota tamen cum Suarez, *vbi supra, num. 16.* & aliis, approbantes appellationem factam, vel præstantes auxilium, aut favorem appellanti post appellationem, hac excommunicatione non ligari: quia verba legis solum appellantes, & auxilium ad appellationem præstantes comprehendunt.

RESOL. XL.

An appellantes à Papa ad Concilium Generale jam congregatum, & actum existens incidant in censuram Bullæ Cænæ?

Et an ita appellantes saltem sine sacrilegi, & male sentiant de Fide?

Et an dans consilium ad supradictam appellationem faciendam, incurrat dictam excommunicationem?

Et notatur talem prohibitionem appellandi comprehendere appellationem à sententia Papæ, in qua motus ira, vel aliqua alia animi perturbatione videatur committere injustitiam. Ex part. 10. tr. 11. & Misc. 1. Resolut. 60.

* Que hic est Ref. antecedens.

§. 1. Contra Vgolinum, & Gambartum in 9. part. tr. 77. * *resol. 66.* negativæ sententiæ adhæsi; quam postea scio aliquibus displicuisse, sed immerito; nam ista sententia est communis inter Doctores, & ita præter Soufam Dominicanum, & Castrum Palaum Iesuitam, à me vbi supra adductos, adhærent etiam huic opinioni ex Societate Iesu Filliuc. *tom. 1. tr. 16. c. 3. n. 56.* Reginaldus, *tom. 1. lib. 9. c. 15. sect. 1. n. 263.* Fragosus, de *Repub. tom. 2. lib. 1. disp. 3. §. 1. n. 52.* Idem etiam docet Duardus, in *Bullam Cænæ, lib. 2. Canon. 2. g. 7. concl. 1. n. 10.* Sayrus, de *Censur. l. 3. c. 6. n. 4.* Graffius, in *Decision. tom. 1. lib. 4. cap. 18. num. 60.* Lezana, in *Sum-*

ma *questionum Regul. tom. 3. verb. Bulla Cænæ, num. 11.* Bonacina, *tom. 3. disputat. 1. quest. 3. punct. 1. numer. 4.* Gesualdus, in *Theolog. moral. tom. 2. tractat. 14. cap. 2. num. 7.* & alij penes ipsos. Et nostram sententiam ita mordicus tenet Duardus: *vbi supra num. 12.* ut opinionem Vgolini contrariam, falsam existimet; quod ego non puto.

2. Nec obstat dicere cum dicto Vgolino, quod ratio prohibitionis militat etiam in casu appellationis ad Concilium præsens. Ergo debet currere eadem juris dispositio, ex Textu in *lege Illud, Digest. ad legem Aquil.* & ex his, quæ docet Guido Papa, *decisione 273.* Etenim pluries probavimus, quod in excommunicationibus non fit extensio, quamvis militet eadem ratio: & eo magis, quia ratio prohibitionis non fuit expressa in hoc Canone: propter quod doctrina Panormitani in cap. *Quia in Infidelis, de stat. Monach.* non habet locum in casu nostro, dum ait quod lex debet ampliari, & restringi ad limitates rationis expressæ. Nec dici potest, ut ipsemet Vgolinus existimat, idcirco vi nostri Canonis excommunicari appellantes ad futurum Concilium: quia raro contingit Concilium hoc actu congregatum esse, vbi quis appellat: sed non ob id excludi, quin appellans ad Concilium jam congregatum, in excommunicationem hanc incidat: argumentum Text. in *lege unica*, juncta Glossa, in verb. *Sponsam, Cod. de rapt. virginis*, quoniam responderetur, quod imò quia raro contingit Concilium Generale actu congregatum esse, sicut etiam Concilium Provinciale; idcirco appellantes ut supra ad Concilium præsens, aut Provinciale, in excommunicationem non incidunt; quoniam lex adaptatur ad ea, quæ frequentius accidunt, *lege nam, ad ea, Digest. de legibus.* Nec Glossa, in *dicta leg. unica*, probat intentum; sed potius per jura, quæ allegat tacite revocat quod antea dixerat. Dicendum est itaque, Appellantes ad Concilium Generale præsens, esse Sacriligos, & malè sentire de Fide; sed non incurrere in Censuram Bullæ. Itaque ex his apparet, me rectè adhæsisse huic opinioni: & nescio qua ratione de hac aliqui obmurmurati sunt, cum hæc opinio, ut visum est, sit inter Doctores communior.

3. Sed si hic obiter quæras, an dans consilium incurrat in hanc excommunicationem? Posset fortasse affirmativè responderi: nam consilium ipsum videtur esse quidam favor, vel auxilium morale: qui enim rectum consilium præbet, non parum juvat ad bene operandum. In contrarium verò est, quia in rigore sunt influxus distincti, & ad distinctos fines ordinati; consilium enim est ad instructionem mentis: auxilium autem, & favor ad executionem. Vnde in aliis juribus, quando extensio fit ad Consulentes, expressa fit eorum mentio. Et idèò probabilius censio, per hanc clausulam non comprehendi pure consulentes. Voluit enim Pontifex per hanc censuram cohibere potentes, qui efficacius resistunt: de doctrina autem, vel consilio nihil in eo loco statuit. Et ita docent Reginaldus, & Filliucius, *vbi supra cum Suarez, de Censur. disputatione 21. sessione 2. numer. 17.* & aliis.

4. Nota hic etiam obiter, talem prohibitionem appellandi, cum facta sit universaliter, & absque vlla limitatione, comprehendere illam etiam appellationem à sententia Papæ, in qua motus ira, vel aliqua alia animi perturbatione, videtur committere injustitiam. Nam quamvis jure cuique liceat jura, bonaque sua tueri, quia tamen debet quisque eodem naturæ jure præferre bonum animæ suæ aliis bonis, potest

potest talis appellatio fieri absque alia scissura, & divisione à capite Ecclesiæ, unde mors animæ incurritur debet illi juri cedere. Adde, quod talis possessio cum animi submissione instare, & rogare, ut causæ cognitio ad aliquod Tribunal differatur: vel ab ipsomet Papa malè informato ad benè informatum appellare cum debita humilitate, & reverentia: aut certè habere debet patientiam, & suam causam Deo committere tuendam, perinde, ac si injustè pateretur à Summo suo temporali Principe. Ceterum si in iustitia esset evidens; posset aliqua exculatio esse ab obedientia. Et ita hæc omnia docet Reginaldus, loco citato, & alij.

RESOL. XLI.

An extrahentes, mercimonij causa, in magna quantitate frumentum, oleum, blada, legumina, & alia de sua Ecclesiastico, incidant in censuram Papæ reservatam?

Et explanatur, quæ sit magna quantitas in prædicto casu.

Et an, si quis extraheret panem coctum, incidat in hanc censuram?

Et quid, si extrahat farinam?

Et an sub nomine olei comprehendantur olea, ex quibus ipsum oleum conficitur? Ex part. 9. tract. 8. & Misc. 5. Resol. 43.

§. 1. Respondeo affirmativè, & relinquendo alias Bullas Pontificias, ita habetur in Bulla Urbani VIII. 12. Kalend. Novembr. 1624. quæ incipit: *Superius*. Dixi mercimonij causa: nam certum est non esse prohibitum prædicti Bullæ Urbani VIII. extractionem illarum rerum, quæ in Bulla exprimuntur, factam occasione se, suamque familiam alendi, vel ob alium quemcumque finem, præter mercimonium, tamen si in magna quantitate: ut constat ex illis verbis, mercimonij causa, dispositionem restringentibus. Dixi in magna quantitate: nam hæc semper requiritur ad peccatum mortale: & excommunicationem majorem incurrendam. Quæ autem in prædicti sit magna quantitas, non est facile definire. Alij asserunt illam esse censendam, quæ deservire potest in sustentationem familie pro tribus, vel quatuor diebus. Alij, quæ à tribus equis deferri nequit. Sed rectius Bonacina tom. 3. de Censur. disp. 2. q. 3. punct. 42. num. 13. arbitrio prudentis decisionem remittit, credens quantitatem quæ uno equo deferri potest modicam esse. Vide etiam Filliucium tom. 1. tract. 15. cap. 7. num. 162.

2. His suppositis, adfunt aliquæ difficultates: & ideo primo quæro, an dicta excommunicatio sit Papæ reservata? Negativè respondet Bonacina tom. 3. disputat. 2. quest. 3. punct. 24. num. 16. Sed ego puto, quod esto reservata non sit expressè in Bulla Urbani VIII. at tacitè, & implicite reservatur, quatenus prohibet extractionem, & delationem prædictarum rerum sub pœnis, & Censuris contentis in Bulla Gregorij XIII. & Pauli V. At Censuræ ibidem contentæ reservatæ erant; ergo latè in Bulla Urbani reservatæ censendæ sunt: aliàs non esset prohibitio sub eisdem pœnis, & Censuris, sed sub diversis, uti docet Filliucius tractat. 15. cap. 6. questione 7. num. 147. in fine. Sed quicquid sit de hoc, certum est ex consuetudine, & stylo Curie hanc excommunicationem esse Papæ reservatam; ut notat Pater Theaurus in Praxi, part. 2. vers. Annona cap. 4. & Leone de Censur. Recoll. 4. litt. E, verb. extrahentes. Tom. V.

3. Quæro secundò. An si quis extraheret panem coctum, incideret in hanc Censuram? Et affirmativè respondet Filliucius tom. 1. tract. 15. cap. 6. num. 158. Primò, quia prohibetur extractio frumenti propter panem ex eo conficiendum. At propter quod unumquodque tale, & illud magis. Authentica *Multo magis*, Cod. de sacrosanct. Ecclesiæ. Item frustra exprimitur, quod tacitè subauditur, leg. non rectè Cod. de fidejuss. At prohibito frumento tacitè subauditur panis: ergo, &c. Item connexum idem est iudicium, leg. cum actum. Digest. de neg. gest. &c. Translato de Constitutionibus. Sunt autem panis, & frumentum connexa. Ergo, &c. Sed Ego adhuc negativè sententiæ, quam tueri in terminis Castrus Palas, tom. 6. disputat. 3. punct. 30. num. 23. & docuit Bartolus in leg. qua felicit, §. illud, ff. de legatis 3. ubi inquit appellatione materiæ non venire materiaturum, hoc est ex materia confectum: cui sententiæ favet lex, sicut lana, Digest. eodem titul. dicens lanæ appellatione non venire lanam nequam, id est, in filum redactam. Ergo multò minus veniret tela ex lana confecta. Ergo sub nomine frumenti non venit panis, utpotè ex frumento confectus. Et ratio omnium est, quia panis esto ex frumento conficiatur, à frumento specie differt uti communis tradit sententia, quod in farina non procedit. Ergo sub frumento comprehendi non potest, maxime in lege pœnali, ubi strictior interpretatio faciendâ est. Præterea extractio panis regulariter obstat non potest graviter fini à Legislatore in hac lege intento, utpotè quæ annonæ caritatem vix inducere possit, cum difficile sit in magna quantitate extrahi, & diu conservari. Et hanc sententiam in ordine ad incurfionem Censuræ, probabilem putavit Filliucius loco cit.

4. Quæro tertio. An extrahentes farinam incidant in hanc Censuram? Et affirmativè respondet Azorius 1. part. Institut. moral. lib. 5. cap. 26. questione 2. Et ideo Narbona lib. 6. titul. 2. leg. 14. gloss. 1. num. 41. Gutierrez in questionibus practicab. libr. 4. quest. 44. per totam. Maceratenfis var. libr. 2. resol. 13. num. 12. Bobadilla in pol. lib. 3. cap. 3. num. 55. Mexia in pragmat. Taxa panis, conclusio. 4. num. 2. asserunt, quod prohibitus vendere frumentum extra territorium non poterit vendere farinam, aut panem; quia in talibus non verborum sonus, sed effectus attenditur, secundum Nicolaum Boërium in decision. 77. num. 5. Albericum in 2. part. statut. question. 10. Franc. Marcum, decision. 540. numer. 2. & Guido Papa in questione. 373. dicit, pluries per parlamentum Delphinatus ita judicatum fuisse, & latè probat Alexander Imola in consil. 130. incipienti, super eo, de quo quæritur, an Fideles, 1. colum. volumin. 6. Quod probatur: nam ratio prohibitionis Pontificiæ, ne extrahatur frumentum, militat etiam in extractione farinæ; & ideo una debet esse de illis dispositio; ut patet ex leg. illud, Digest. de leg. Aquil. leg. à Titio. Digest. de verbor. obligat. Et ita concludit Baldus in leg. non dubium 4. colum. num. 10. Cod. de legibus, & Anchianus in cap. Canonum statuta, de Constitution. vers. lura prædicta congruè; quicquid idem velit ipse Baldus in leg. si convenerit, §. fin. Digest. de pignor. actio. & in lege, quod non ratione, in 1. lect. ff. de legib. ubi tamen censet, aliud non esse materiaturum à materia, quando fit in fraudem statuti. Facit, quod notat Bertachinus in tractat. de Gabellis in 21. questione. 2. particule, parte princip. Sic vel ex eadem ratione, ne fraus fiat legi, quodque eadem inest ratio, prohibiti incidere ligna in certa Sylva, & asportare, non poterunt ligna quæ reperiuntur incisa, vel collapsa asportare: Textus est, & ibi not. Bartolus in leg. 2. Cod. de curress. lib. 12. Nec si objiciatur, oberit, quod appellatione